

est respectu æterni : neque iudex noster procul est : jam ventilabrum manu tenet, jam sententiam scribit. Ergo incipiam nunc extinguere lacrymis ignem illum, et conciliare mihi iudicem meum. Quis enim audiens regem aliquem venire contra se cum duplo majori exercitu, cui nullo pacto resistere queat, non statim legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt? Luc. XIV. Rex iste Christus iudex est, inquit S. Greg. hom. XXXVII. qui cum ingenti exercitu examinans omnium nostrarum cogitationum, verborum, operum, omissionum, (quorum omnium nos vix mediam partem perspectam habemus, adeoque purgare poterimus aut defendere) nos adorie-tur, cui, *Si voluerit homo contendere cum eo, non respondebit unum pro mille*, ait Job. c. IX. Quid igitur superest, nisi ut mittens ei lacrymas, preces, sacrificia, elemosynas, rogem ea, quæ pacis sunt? Ita fratres Josephi, cum viderunt, eum principem seque ipsi subjectos, ejus gratia vivere, quem olim adeo oderant et vendiderant: ad preces et lacrymas fugerunt. Viderunt enim sceptrum in manu ejus quasi ventilabrum et dixerunt: *Oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc*. Et proni adorantes in terra dixerunt: *Servi tui sumus*, Gen. L addit Philo lib. de Joseph; *cum uxoribus ac liberis supplices petierunt veniam*. Viderunt eum iudicem suum, cujus gratia jam viverent, se vero velut paleas, mortis reos ob eundem graviter offensum, unde non audebant se appellare ejus fratres, servos tantum dicebant. Quid ergo facient peccatores coram Deo iudice? Hic enim licet sit frater noster tamen et iudex et rex noster est, nosque servi ejus. Eo pertinet, quod Heli insinuavit prævaricantibus filiis suis: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* I. Reg. II. Qui in ipsum iudicem suum peccavit, quem patronum causæ suæ inveniet?

IV. Nescitis denique eum esse sponsum vestrum in quem graviter deliquistis. Dicat id Joannes. Hic cum quærentur ejus discipuli, quod eo relicto omnes ad Christum venirent, dixit: *Qui habet sponsam, sponsus est*. loquens de Christo, Joan. III. quasi diceret: Quid mirum si me relicto omnes ad ipsum veniant? Ipse enim eorum sponsus est, non ego. Despondit Deus ergo Pater Filio suo Ecclesiam, adeoque omnium credentium animas. Sed quid agunt peccatores? Christo sponso abducunt sponsam, suas saltem animas, si non etiam alias, pravis nimirum exemplis, monitis aut imperiis: sponsam illam, quam sibi de cælo in terram descendens quæsivit, tot laboribus despondit, suo sanguine emit atque abluit abducunt, inquam, et inimico ejus pessimo, dæmoni substernunt. Considerate quid, exprobra-

rit Nathan Davidi, postquam is Uriæ conjugem dilectam abstulerat. Pauper quidam habebat oviculam unam, quam emit et nutrit. Ea ipsi erat sicut filia, de manu ejus bibens et comedens, et in sinu ejus dormiens. Venit autem dives, et abstulit illi ovem atque mactavit ac peregrino absumendam apposuit. Quid ad hæc David? *Vivit Dominus*, inquit, *quia filius mortis est vir, qui fecit hoc*. Et Nathan: *Tu es ille vir*, II. Reg. I. Et quid aliud quisvis peccator facit? Animam suam, quam Christus sibi emit sanguine suo, nutrit sacra Eucharistia, fovet in gremio gratiæ suæ velut filiam; hanc ipsi auferit, et occidit per peccatum, et peregrino Dæmoni tradit absorbendam. Hocine non indignum? Non deplorandum tibi? Nonne filius mortis es, mille mortes meritis? Sed induamus alteri vestem tuam, quod facit Nathan David. Quid si tibi alius dilectissimam tuam filiam aut conjugem raperet, constupraret vel occideret? Quam tu in illum sententiam ferres? Tu hoc Christo fecisti et te reum non agnoscis, nec deploras? Vide brutum animal. In vita S. Norberti episc. Magdeb. narratur ejus fratres aliquando foris deprehendisse lupum, qui ceperat capreolum, et accubans depascebat. Ii clamoribus abacto rapuerunt capreolum et tulerunt domum. Lupus insequitur et præ foribus monasterii sedens, querulus quasi repetebat prædam suam. Auditis ab incolis et clamoribus objugatus non se movet, sed canis instar domestici, reflexo capite prædam quasi precambundus expectat. Nuntiatum id S. Norberto, et quo pacto spoliū ei ereptum esset a fratribus, qui idcirco cum timore veniam petebant. Jussit igitur sanctus capreolum ei restitui, dicens: non debere eum sua spoliari præda ab iis, qui eam non ceperunt. Qua accepta lupus mox repetiit silvam, nemine prorsus læso. Cur putatis hoc a Deo inditum fuisse huic feræ, ut venationis suæ fructum tali modo repeteret, nisi ut disceremus indignum plane esse alterum spoliare eo, quod sibi suo sudore peperit? Ergo bestia lamentatur ob prædam sibi ereptam, quam suo labore sibi quæsivit, ab iis, qui non ceperunt eam; et Christus non queretur ob ereptam sibi animam? Non repetet eandem? Tu vero non timebis, nec veniam postulabis? Sane queritur Christus hac de re Ps. XLIX. dicens: *Pretium meum cogitaverunt repellere; cucurri in siti, q. d. prædam, quam cum siti et cursu tandem persecutus sum, conantur mihi eripere*. Stat ille ad ostium cordis tui querulus et pulsat (Apoc. III.) ac repetit animam tuam, imo vero suam. Non eam ipsi restitues? Tu perditionem tuam non dolebis, nec veniam supplex petes? Ergo aperi sponso tuo, et redde ei ovem sponsam et civitatem suam. Si quis enim

aperuit mihi, ait, intrabo ad eum et cenabo cum eo et ipse mecum.

CONCIO III.

QUI POTISSIMUM HOSTES IN CONFESIONE DEBELLANDI. Hostes confessionis iidem qui Hebræorum in itinere ad terram promissionis. — I. Pharaō, seu affectus peccandi. — II. Amalec, devorans seu tacens ali-quod peccatum. — III. Edom, accusator aliorum. — IV. — Chanaanæus quærens sibi confessarium inutilem. — V. Sehon, examinador conscientiæ.

THEMA.

Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini. Joan. I.

Nostis, auditores, filios Israel de Ægypto ejusque servitute exeuntes, ut in terram sibi promissam, lacte et melle manantem pervenirent, per desertum ire, intereaque cum non paucis hostibus conflagrare debuisse, aut eos declinare. Persecutus est eos Pharaō usque in desertum et ad mare rubrum, ut retraheret in servitutum. Post transitum maris opposuit se rex Amalec, deinde rex Edom, postea rex Chanaanæus Arad, post hunc Sehon rex Amorrhæorum, denique Og rex Basan, quosque pervenirent ad Jordanem et ingressum Palæstinæ. Pergimus et nos per hos dies ad terram lacte et melle manantem: in Bethlehem videlicet ad Salvatorem nostrum, in domum panis sacre Eucharistiæ, melle suavioris. Verum prius nobis solitudo transeunda est. Quænam vero illa? Demonstrat Joannes in hod. evang. *Dirigite viam Domini* i. e. penitentiam agite, uti paulo ante explicuit. Eam vero consistere in confessione ex eo patet, quod ipse baptizaret Judæos ad se undique venientes et *Confitentem peccata sua*, ut habet Marc. c. I. Confessio hæc quasi solitudo est, quia soli fit confessario in conscientia arcano. At vero non desunt hostes, qui in hac via se nobis opponunt. Insequitur Pharaō, opponit se Amalec-Edom, Chanaanæus, Sehon et Og. Cum his pugnandum est prius, quam bono terræ promissæ degustemus. Nunc ergo cum quinque prioribus decertemus, sextum velut omnium fortissimum post octiduum aggrediemur.

I. Est Pharaō rex Ægypti, qui initio quidem nulla ratione dimittere Hebræos, postea dimissos vi retrahere voluit, insecutus usque ad mare rubrum, Exod. XIV. Quis vero hic Pharaō nisi affectus peccandi, qui non raro insequitur confidentes, ut quasi inviti ac coacti veniant ad confessionem, sine proposito emendationis, quemadmodum et Hebræi, qui viso adventante Pharaone clamaverunt ad Moysen: *Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto: Recede a nobis ut serviamus Ægyptiis? Multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine*.

Sequitur hic affectus plurimos, qui non ex animo et spiritu bono, sed profano, ob metum et instantiam superiorum, vel ne videantur aliis pejores, etc. confitentur; interim Ægyptum cogitant, et velut canis cum catena a confessione discedunt! Quare per catenam illam affectus mali ad servitutem pristinam facile retrahuntur, viso iterum Pharaone, Venere, Bacco, mammona vel altera creatura, cui prius adhæserunt: nihilo constantiores, quam fures captivi, qui forte precibus liberati, promissione facta non furandi amplius, mox eodem die rursum clepere incipiunt, quodquod intolerabilis est, eodem die, quo ad mensam Domini accubuerunt, in cænum suum redeunt. Tales lamento suo deplorat Jerem. Thren. IV. dicens: *Qui nutriebantur croceis, amplexati sunt stercorea*. Mane cum imperatore pransi, cœnant vesperi cum porcis; tollentes membra Christi, faciunt membra meretricis; uti I. Cor. VI. ait. Apost. sanct. Bernar. vero declam. de bonis deserti: *Præstantissimum sæculi pretium in sterquilinum projiciunt*. Demergendus est hic affectus cum Pharaone in profundum maris, ita ut non appareat amplius.

II. Fuit Amalec, rex Amalecitarum, qui primus in deserto occurrit Hebræis et pugnavit contra eos, Exod. XVII. Sed oratione Moysis et gladio Josue deletus est. Amalec *Populus tingens*, aut *devorans* exponitur secundum Hier. in Isa. nec male, quia postremos agminis cecidit et, quasi devoravit, Deut. XXV. et significat eos qui in confessione jamjam enuntiaturi aliquid grave peccatum, quod fere ad finem confessionis differunt, (unde consultius est graviora præmittere) quasi lingendo resorbent, devorant et tacent. Nota est historia ex Joanne Juniore Dominici ord. de muliere, quæ ejectis in confessione bufonibus ad finem majorem omnium resorbuit, unde cæteri per ejus os regressi omnes sunt. Et scimus ex Act. V. morte subita plexos divinitus Ananiam et Sapphiram, qui partem agri venditi tacuerunt sibi que reser-varunt. Quos S. August. serm. XXVII. de verb. Apost. et S. Basilius serm. I. de instit. moni putant vitam simul et salutem perdidisse, ac licet alios salvatos velint, satis tamen terribile est, quod morte interierint dubia et subita. Certe hoc timorem omnibus incussit, ut ibi dicitur. Refert Cyrillus Jerosolymit. in epist. (quæ est inter epistolas S. August. et Marulus. I. VI. c. XIV.) de seipso, quod dum aliquando mæstus oraret, petens judicari a Deo statum Ruffi nepotis sui nuper defuncti, primo senserit fetorem maximum, qui naribus etiam compressis intolerabilis esset; tunc ipsum Ruffum conspexerit catenis ferreis candentibus cinctum, flammam evomentem et toto corpore scintillantem. Ter

ritus ergo ac miratus juvenem moribus integrum habitum, sic torqueri, quærit cur his pœnis addictus esset. Cui Ruffus, nil aliud sibi crimini datum, præter aleæ lusionem, qua frequenter usus, nullum id vel leve peccatum ducens, sacerdoti confitere neglexit. Quem non terreat hoc exemplum et quot putatis, sunt, qui ex crassa vel affectata ignorantia similia peccata non confitentur? Quam multi fœde abutuntur matrimonio, rati sibi in conjuges quidvis licere, non advertentes quod B. Ægid. S. Francisci socius cuidam glorianti, quod præter uxorem, nullam tetigisset, respondit: *Ne gloriaris; potest enim quis non minus e proprio vase, quam alieno inebriari.* Quam multi bona sua prodigunt, rati sibi licere de illis disponere quomodocumque? Quot sunt, qui cum possent restituere aliena et solvere sua debita, differunt tamen cum damno creditorum: nec tamen id pro peccato habent, adeoque nec confitentur! Cædendus igitur est hic Amalec; siquidem jussit Deus scribi in libro nequitiam Amalec: *Memento quæ fecerit tibi Amalec, etc. Cave ne obliviscaris,* Deut. XXV. et post aliquot sæcula a Saule omnino eum deleri. Inscribenda sunt memoriæ peccata præterita, et delenda in confessione usque ad interneccionem: nec parcendum pinguioribus, h. e. peccatis gravioribus, quemadmodum pepercit Saul in ea executione, maximo suo damno.

III. Tertius est Edom rex Idumæorum, qui requisitus, ut concederet transitum, noluit: *Non transibis per me,* inquit, *alioquin armatus occurram tibi,* Num. XX. Edomitæ posterius Esau erant, adeoque fratres Hebræorum, quare noluit Deus, ut cum iis pugnarent, et regionem eorum transirent: sed jussit eos deflectere ad aliam viam, et juxta fines Idumæorum pergere. Edom significat quemvis fratrem aut proximum nostrum, per quem transire non debemus in confessione, neque finis ejus tangere accusando, vel in ipsum culpam devolvendo. Deliquerunt hac in re primi parentes nostri, qui requisiti de transgressione sua, rejecerunt culpam alter in alterum: Adam in uxorem, (cujus tamen amore prius peccarat, post crudeliter illam ream fecit) Eva in serpentem et uterque oblique in Deum, bene proinde præmissum fuit, quod consuerint folia ficus, ut nuditatem suam velarent. Quid enim consuere folia ficus ad se vestient, nisi excogitare vanas excusationes et peccata palliare? Ut advertit S. Gregor. I. XXII. moral. c. XIII. Hunc morbum hæreditario quasi jure derivarunt in se homines, præsertim conjugati, qui in confessione sæpius se mutuo accusant. Duplex hoc peccatum est, quia peccatum proprium negatur, et alienum contra jus et

fas aperitur. Comparavit quispiam tales crumenicidis, qui in templo miscent se et intrudunt in confertam multitudinem: ubi quasi orarent, fictas manus jungunt atque elevant, interim veris suis manibus, aliorum saccos rimantur vel crumenas abscondunt. Flectunt isti genua in confessione quasi se accusaturi et veniam precaturi: interim alios famæ surreptione lædunt. Verum sicut protoplasti frustra se palliarunt, et *Potius,* ut ait S. Greg. ibidem, *sibi Deum quam se Deo absconderunt:* ita isti non se abscondunt Deo, omnia videnti; sed Deum sibi, ut ipsum invenire ejusque gratiam nequeant.

Ergo declinandus est rex Edom, non transeundum per fratres nostros, nec illorum acta nostris pedibus calcanda; præterquam cum quis aliter suum peccatum aperire nequit, nisi complice indicato. Tunc enim complex sibi id imputet; ut docent theologi morales.

IV. AraJ rex Chananæus, qui in prima quidem congressione victor existens prædam ab Israele tulit, in secunda vero victus et deletus est, Num. XXI. Chananæus mercatorem significat, unde et Chananæi fere omnes mercatores erant ob vicinum mare; et significat eos, qui ut latere et perseverare in peccatis suis possunt, quærunt sibi confessarios ad hoc idoneos eo fere modo, quo mercator aliquis circuit per nundinas, et quærit sibi emptorem nummatum vel simplicem, cui imponat. Sic enim aliqui.

Primo. Quærunt simplices et parum doctos confessarios, qui ab hoc et hac absolvant, contra id Eccles. IV. *Ne subicias te omni homini pro peccato,* id est omni confessario, ut explicant Liranus et Holcot. Multi enim stipites et truncos consulunt, de quibus dici possit id Ose. IV. *Populus meus in ligno suo interrogavit et baculus ejus annuntiavit ei.* Quis in periculoso morbo non præstantissimum quærat medicum? Quis in magni momenti litigio non peritissimum juris consultum? Quis per mare iturus non navarchum peritum? Imo quis non exoptat eligique optimum sartorem, optimum sutorem? At quæ dementia est, in rebus fluxis sibi quam optime consulere, in salute vero animæ de æternis bonis sibi minime prospicere?

Secundo. Alii, ut fere nobiles solent, graviora confitentur alicui extraordinario, rudi vel ignoto ac peregrino: leviora ordinario, gravi, perdocto ac religioso viro; ut hac ratione se sapientissimum confessarium habere, gloriari possint; quod nil aliud est, quam maligno morbo, uti laterum dolori, stultum, ignarum et imperitum quærere medicum, qui nesciat ægri complexionem: levi autem, ut catharro, tussi vel dolori capitis notum et peritissimum. Potest

quidem subinde absque culpa confessarius mutari, cum tamen prædicta causa sit, signum est abjecti animi et tendentis ad interitum, tamque pene a dæmone victi. Signum etiam manifestum hypocritæ, bonam opinionem quærentis apud confessarium, qui ipsius vitia sanare debet. Sane *Pauperem superbum* odit Eccles. c. XXV.

Tertio. Alii iisdem peccatis immersi mutant semper confessarios de uno ad alium currentes; ut ne tot illorum relapsus deprehendantur, sicque a cursu suo, qui ad infernum tendit, impediuntur. Qui sane aliud non agunt, quam quod mutatis crebre equis celeriter ac *per postlam,* ut aiunt, ad infernum eant. Sicut enim equus nescit quo te ducat, licet tu ad præcipitium tendas: ita et confessarius, qui relapsus tuos ignorat, nesciens te scientem ducit ad interitum. Similes hi sunt Caino, qui formidine parricidii sui agitatus, nullo certo loco consistere potuit, sed profugus in terra ne alicui notus fieret, de loco in locum migravit, sceleris sui carnificem semper secum gerens. Nec alia de causa peccata tales evomunt per confessionem, nisi ut iterum se ingurgitent.

V. Quintus, Rex Amorrhæorum Sehon, qui transitum dare Hebræis nolens et obsistens, ad interneccionem cæsus est, Num. XXI. Sehon *eradicatio.* Amorrhæi *amari* exponuntur. Ea vero eradicatio quid nisi examen conscientiæ, quod vel ipse confitens secum vel confessarius cum ipso instituit? Id enim eradicat vitiorum amaritudines. Hinc bene Amorrhæi cæsi dicuntur in ore gladii, quia per examen et interrogatorio confessarii ore deprompta mactantur et evelluntur peccata, velut herbæ pestifera ex horto. Rem certe tibi pergratam utique faceret, hortulanus peritus, qui noxias herbas ex horto tuo evelleret, et salutare implantaret, necnon qui domum tuam emundaret omni spurcitie, vel fures inibi latentes pervestigaret. Hoc facit confessarius, vel quod melius, tu ipse scrutando teipsum. Hostis tibi videtur hæc examinatio, sed revera arcticus est, non minus quam solers medicus, qui potionem tibi data noxios humores expellit e tuo corpore. Intolerabiles vero prorsus et perversi illi sunt, qui confessarios traducunt et derisui habent, quod variis questionibus eorum conscientias scrutentur. Quis enim ridet vel infamat medicum, quod ægrorum affectus et paroxysmos indaget, urinam et excrementa inspiciat? Nonne propter hanc solertiam, charitatem ac demissionem magis diligendus atque honorandus est? Idem præstat animæ confessarius quod corpori exhibet medicus.

Eandem ob causam libenter acceptandæ sunt

satisfactiones injunctæ, licet aliquantum amaræ et difficiles sint; quia per illas radicibus evelluntur herbæ noxiæ, cum per examen et confessionem abscondantur solum, radicibus adhuc animo inhærentibus. Acceptandæ etiam correptiones; nam uti S. Anselmus dicere solebat: *Ubi non est correptio, ibi est corruptio.* Quam profuit Davidi reprehensio Nathan prophetæ; sine qua sero valde vel nunquam resipisset? Id agnovit David, nec inique tulit se graviter objurgari, II. Reg. XII. Rex hic fuit, quid faciat homo privatus? E contra non tulit correptionem Joannis rex Herodes, sed inclusit eum in carcere, at denique decollavit, quia ejus conscientiam momordit. Quem ergo placebit imitari magis, Herodem potius quam Davidem? Canes, equi et similes bestię morsu et calcibus petunt eos, a quibus medelam accipiunt, quia nesciunt, quid circa se fiat. Hoc fecerunt Judæi Christo in cruce pendenti, qui dum eis pharmacum pararet e suo sanguine, ipsi multa phrenesi pleni insaniebant in medicum suum. Unde Christus pro eis rogans ait: *Pater, Dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Sed hi malitiose et crassa ignorantia plerique quid agerent, nesciebant: bestię non possunt noscere suum medicum.

Quando ergo jam agnoscimus hostes, qui iter nostrum præpediunt, superest ut armemus nos contra illos. Magna spes victoriæ est, hostes suos novisse et eorum potentiam et arma perspecta habere. Ergo *dirigite viam Domini,* per rumpite hostes illos, ut ad terram lacte et melle manantem in sancta communione perveniatis

CONCIO IV.

CONFESSIONIS ALIQUOT NOTABILES DEFECTUS.

I. Periculosum est fingere se alium. — II. Aliqui se prophetas dicunt. — III. Alii Eliam se dicunt. — IV. Aliqui se Christum esse asserere videntur.

THEMA.

Quid dicis de teipso? Joan. I.

Periculosa res est, auditores, alterius personam sibi affingere, principis præsertim aliusve magnatis. Senserunt istud aliqui maximo suo malo et crudeli supplicio: vidit hoc et sapuit miles quidam, nomine Conradus Stich, patria Oxenfort faber opificio; qui cum in Italia militaret, et Conradino Suevo exercitus duce capto, et Neapoli jussu Caroli Adegavensis decollato, provocaretur ab exercitu, ut se Conradinum ducem assereret quod facie ipse simillimus esset, jamque pro tali proclamaretur, ipse sibi consulens, et periculum prospiciens, e castris profugit in patriam, et pro duicali sceptro fabrilem malleum arripuit, ut quem olim